

*Misit Deus Filium ut salvetur mundus per ipsum.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 3, 14-21

In illo témpore: Dixit Iesus Nicodémo:

- <sup>14</sup> «Sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto,  
ita exaltári opórtet Fílium hóminis,  
<sup>15</sup> ut omnis, qui credit, in ipso hábeat vitam ætérrnam».
- <sup>16</sup> Sic enim diléxit Deus mundum,  
ut Fílium suum Unigénitum daret,  
ut omnis, qui credit in eum, non péreat,  
sed hábeat vitam ætérrnam.
- <sup>17</sup> Non enim misit Deus Fílium in mundum,  
ut iúdicet mundum,  
sed ut salvétur mundus per ipsum.
- <sup>18</sup> Qui credit in eum, non iudicátur;  
qui autem non credit, iam iudicátus est,  
quia non crédidit in nomen Unigéniti Fílii Dei.
- <sup>19</sup> Hoc est autem iudícium:  
Lux venit in mundum,  
et dilexérunt hómines magis ténebras quam lucem;  
erant enim eórum mala ópera.
- <sup>20</sup> Omnis enim, qui mala agit, odit lucem  
et non venit ad lucem,  
ut non arguántur ópera eius;
- <sup>21</sup> qui autem facit veritátem,  
venit ad lucem,  
ut manifesténtur eius ópera,  
quia in Deo sunt facta».

Verbum Dómini.